MONACHORUM BENEDICTINORUM *CAPITULUM PROVINCIALE CONSTANTIENSE* PRO VISITATIONE AC REFORMATIONE MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

Ex antiqvissimo Codice MSCto *BIBLIOTHECÆ DUCALIS GOTHANÆ.*

CAP. I.

Decretum Concilii Constantiensis de eligendis Præsidentibus Capituli Provincialis Constantiensis ad visitationem ac Reformationem Benedictinorum, editum 1416. *mense Febr.*

Monachi Benedictini in Const. Concilio præsentes.

Sacrosancta & generalis Synodus Constantiensis dilectis Ecclesiæ filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, & aliis *nigrorum monachorum*, regulam *Sancti Benedicti* professis, *in præsenti generali Concilio Constantiensi Nationis Germanicæ congregatis*, salutem & Dei omnipotentis benedictionem.

Petrusii prope Constantiam indictum Capitulũ Provinciale Benedictinorum.

Nuper *Ordinis Monachorum nigrorum provinciæ Moguntinensis & diœceseas Bambergensis* Capitulum provinciale, *in hac civitate Constantiensi*, in Monasterio *Petri-domus* ultra pontem civitatis ejusdẽ, *juxta formam generalis Concilii*, & *Const.* felicis recordationis Honorii III. & Benedicti XII. Summorum Pontificum, celebrandum fore decrevimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Nullis tamen *deputatis Præsidentibus*, ad exequendum, disponendumqve & præsidendum in eodem.

Præsidentes visitationis Bedictinorũ eligendi in Concilio Const.

Ne igitur propter hoc contingat, *effectum convocationis differri*, vel etiam *impediri*, aut aliàs frustrari: De vestris devotionibus & prudentia in Domino plenariam fiduciam obtinentes, ut *de vestra, & quacunque alia natione Abbates* ejusdem ordinis, etiam ante diem dicti Capituli, qui præparanda præparent & disponant, juxta formam dictæ constitutionis Benedicti XII. teneamini & *positis eligere in Præsidentes*: Qui sic per vos electi potestatem habeant, Visitatores eligendi, illaqve exercendi & cætera faciendi, quæ in dictis constitutionibus continentur: Plenam in Domino tribuimus facultatem.

Post solutionem vero dicti *proximi instantis Capituli*, penes Abbatem, qui in dicta provincia Moguntinensi in hujusmodi Capitulo Præsidens fuerit, vel Abbates, si plures ejusdem provinciæ Præsidentes fuerint, usque *ad aliud inde sequens Provinciale Capitulum* remaneat illa eadem *potestas*, quæ remanere debet *apud præsidentes*, qui pro tempore secundum dictarum constitutionum Benedictinarum tenorem regulariter eliguntur.

Majora autem seu graviora, quæ *in* sæpe dicto *proximo Capitulo* disponentur, *ad sacrum generale concilium*, vel ad futurum summum Pontificem *referantur*.

A generali Reformatione Ecclesiæ non excepti Benedictini.

Per præmissa tamen, à *reformatione Ecclesiæ, per nos autore Deo facienda*, vos non intendimus liberare.

Datum *Constantiæ, XII. Cal. Martii, Anno à Nativitate Domini MCCCCXVI.* Apostolica sede vacante.

CAP. II.

Electi Præsidentes Capituli Provincialis Constantiensis pro reformatione Benedictinorum.

Electi in Concilio Præsidentes reformationis Benedictinorum.

Præsidentes sunt &c. Lodevvicus, Treverchiensis, Cabilonensis diœceseos, *Thomas, Eboracensis, Syfridus, Elvvangensis*, Augustensis diœceseos, *Johannes, Sancti Gregorii*, Constantiensis diœceseos, Monasteriorum, *Abbates.*

CAP. III.

Juramentum Visitatoris Benedictinorum in Const. Concilio electi.

Juramẽtum visitatorum ordinis Benedicti.

EGo N. &c. juro per hæc sancta Dei Evangelia, quod officium visitationis, ad quod *in sacro capitulo provinciali Constantiensi* sum electus, fideliter & legaliter, quantum mihi Deus præstiterit, cum meis viribus exercebo, postposito favore & odio, ac quocunque alio inordinato affectu, secundum Deum & beati Benedicti regulam, ac regularia instituta. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Evangelia.

CAP. IV.

Modus suscipiendi Visitatores, vel Visitatorem, si eorum tantum unus fuerit, per visitandos.

Ceremoniarum series in adventu visitatorum ad Benedictinorum monasteria.

ITem, quando intrabunt Visitatores oppidum vel civitatem, tunc *debent pulsare omnes campanas*, & pulsum continuare, donec dicti Visitatores intraverint Ecclesiam, oraverint, & ab oratione surrexerint.

Item Dominus *Abbas visitandus debet exire* in paramentis, scilicet *cum conventu*, extra monasterium *processionaliter*.

Et *debet portari crux*, aqua benedicta & thuribulum.

Et *Abbas* debet stare sub porta monasterii, cum cappa & baculo pastorali.

Et *conventus* debet stare ante portam in processione hinc & hinc.

Qvi vero crucem portant, debent stare in medio ante chorum conventus. Qvi etiam debet esse paratus paramentis.

Item, cum dicti Visitatores venerint, & appropinqvaverint processioni: Tunc Dominus *Abbas ibit* eis *obviam*, quantum durabit chorus monachorum, & non ultra, & per medium chori.

Item tunc statim Dominus *Abbas recipiet crucem in manibus, & dabit Visitatoribus* seu Visitatori genubus flexis *stantibus* seu stanti *ad osculandum*. Et asperget eos vel eum cum aqua benedicta, & incensat eos vel eum.

Item postea *Abbas dabit uni Visitatorum baculum pastoralem in manus*. Et ducet eum vel eos in monasterium.

Et quando intrabunt portam monasterii, tunc *chorus* incipiet *Responsorium de Trinitate: Deum time*. Et pausatim cantetur, usque quod Visitatores vel Visitator venerint *ad altare majus*, & ibi flexis genubus super quodam scamno, bene ornato cussinis & aliis ornamentis, oraverint. Et si non sufficit *Responsorium* illud, cantetur aliud *de patronis*.

Et in oratione, dimissis Visitatoribus, medio tempore Dominus *Abbas deponet paramenta*.

Et finitis Responsoriis, *Collecta* dicantur, scilicet, *Actiones nostras*, de patronis.

Qvibus completis, visitator unus dabit benedictionem, si illam dare potest.

Dein *Abbas ducat Visitatores ad locum capitularem*, vel cameram ipsis deputatam, in qua valeant manere, & examinare visitandos.

Item, si sit hora, qua possit visitatio inchoari, *convocent visitatores Abbatem & conventum* ad locum capitularem *per sonum*.

Si velint proponere verbum Dei, proponant, seu alter ipsorum.

Dein faciant legi clausulam dationis suæ potestatis, in processu contentam.

Consequenter *accipiat unus librum Evangelistarum*, vel alium, ubi sunt Evangelia. Et *omnes simul manum apponant*, si fieri potest, vel si non, primo Abbas solus, dein quatuor & quatuor, seu tot, quot possunt manum apponere. Et dicatur eis: *Per istum modum vos juratis* &c. prout in forma postea continetur.

Prælimiaria visitationis inchoandæ.

Jurent monachi visitandi.

Deinde ad partem *interrogent Abbatem* singulariter, super singulis interrogatoriis. Similiter & *conventum*, prout inferius per capitula continetur.

Item, si tempus non patitur, *plures insimul interrogare possunt*, maxime super illis, de quibus fama potest haberi, vel notorium.

Item,

Item si non possunt prædicta die, qua intrant, vacare visitationi, expectetur dies sequens.

Et de mane potest alter ipsorum, si voluerit, dicere missam unam, vel saltem poterit verbum audire. Qvia finita hora, qua fieri debet Capitulum, accedunt ad locum capitularem.

Finito & expedito capitulo regulari, faciant legi formam *juramenti visitandorum.*

CAP. V.

Juramentum visitandorum utriusque sexus.

Formula juramenti, qua obligandi Monachi Benedictini ante eorum reformationem in quovis monasterio.

EGo N. &c. *juro* per hæc sancta Evangelia, quod de omnibus, super quibus ero per vos, vel aliquem vestrum, interrogatus, generaliter vel specialiter, *veritatem dicere.* Ac etiam omnia, quæ sciam *vestra reformatione indigentia*, & quæ sunt *necessaria pro reformatione monasterii* præsentis, vobis fideliter manifestabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

CAP. VI.

Copia veri Procuratorii secundum Constitutiones Benedictinas.

Formula Abbatis, ad substituendum pro se Procuratorẽ, si ipse in Capitulo Reformatorio præsens esse nequeat.

REverendis in Christo patribus, Dominis præsidentibus sacro *Provinciali Capitulo monachorum nigrorum* Carcassensium proxime celebrando, P. Dei gratiâ, Abbas monasterii S. Aniani ordinis ejusdem, diœceseos Chomensis, Salutem in filio virginis, cum omni reverentia & honore.

Vestra noscat paternitas, Patres & Domini Reverendi, me permittente Deo, podagrâ, decrepita ætate, febrili passione, vel hujusmodi taliter esse detentum, quod absque gravi damno personæ meæ atque evidenti periculo ad dictum sacrum capitulum accedere nequeo personaliter de præsenti. Ideoqve ad ipsum capitulum fratrem *Johannem Roberti*, monachum, & infirmarium nostri monasterii antedicti (mitto) cui præsentium testimonio literarum do potestatem & speciale mandatum, coram vobis, meo nomine in dicto capitulo comparendi, interessendi, faciendi, & adimplendi ea omnia, ut ipse facere possem & deberem, si in eodem Capitulo essem personaliter constitutus. Do insuper potestatem eidem, & *speciale mandatum in animam meam jurandi*, excusationem allegatam superius fore veram. Scientes interea, quod tale monasterium per me extitit, ut injunctũ mihi fuerat, proximo lapso Capitulo Provinciali visitatum. In qvo facta diligenti inquisitione, in spiritualibus & in temporalibus, tam in capite quam in membris, honestatem regularem, ac etiam temporalem vigilantiam reperi observari.

Vel sic: In quo quidem, *quæ correctionis & reformationis sæculo indigebant*, ut melius potui, *reformando correxi.* Datum sub nostro sigillo &c. In quorum testimonium sigillum meum &c.

Et cum res correcta existat dubia vel nimis ardua, consulo, quod Visitator mittat processum clausum Præsidentibus ante dictis.

Si autem monasterium, ut injunctum fuerat, non visitavit, *alleget etiam justam causam.* Nam aliàs præsumeretur negligens, & mulctaretur pœna duplici.

Ergo non sufficit dicere, corporali infirmitate, vel impedimento corporis vel itineris quem esse detentum, nisi *rationem impedimenti clare exprimat.*

CAP. VII.

Processus generalis monachorum nigrorum Capituli Provincialis, in Petri domo, *monasterio ejusdem ordinis* ultra Pontem Constantiensem *sitô, celebrati sub anno prout inferius notatur.* M CCCC XVII. mense Martio.

Decreta in Capitulo provinciali Constantiensi pro visitatione ordinis Benedicti A. 1417. mẽse Martio. Celebrato hic convẽtus in Petershausen prope Constantiam.

Universis præsentes literas inspecturis nos, Lodewicus, Treverchiensis Regalis *à Romana Ecclesia immediate dependens*, Thomas, Eboracensis, Syfridus, Elwangensis, *etiam immediate à Romana Ecclesia dependens*, Johannes, Sancti Gregorii, *monasteriorum*, Abbates, ordinis Sancti Benedicti, *Cabilonensis, Eboracensis, Augustensis & Constantiensis diœcesium*, autoritate sancti concilii *electi ad officium præsidentiæ Capituli* nigrorum monachorum ordinis ejusdem, *provinciæ Moguntinensis, & diœceseos Bambergensis*, videlicet in suburbiis ejusdem civitatis, *in monasterio PETRI DOMUS* dicti ordinis *celebrati, ac* inchoati die ultima Februarii, *cum continuatis diebus sequentibus*, Anno Domini M CCCC XVII. *Indictione decima, sede Apostolica vacante*, & tertio anno dicti concilii, *secundum felicis recordationis Benedicti Papæ XII. & Honorii III. generalis concilii statuta, & sacrorum canonum sanctiones: Salutem in Domino sempiternam.*

Notum facimus, quod pro utilitate & reformatione ordinis prædicti *de consilio Dominorum Abbatum præsentium, quorum nomina sequuntur, & Procuratorum absentium, quamvis non necessario requisitorum, videlicet primo:* De diœcesi Constantiensi *Sancti Gregorii in agro Campidonensi, Sancti Blasii, Sanctæ Mariæ, Eremitarum, &c. Procuratores Abbatum non personaliter comparentium: Dictæ diœceseos In Droba Lucernensi: De diœcesi Argentinensi in Svvartbach &c. De diœcesi Moguntinensi &c. De diœcesi Spirensi &c. De diœcesi Herbipolensi &c. & sic de aliis: Statuimus & ordinavimus, statuimusq; & ordinamus quæ sequuntur.*

Novo Benedictinorum conventus indictus in Annum 1418.

Primo, quod Capitulum *provinciæ & diœceseos atque ordinis prædictorum* proxime celebrandum, *secundum statuta & sanctiones prædictas celebrabitur* in monasterio Sancti Albani extra muros Moguntinensis civitatis ordinis prælibati, *die Dominica, qua* cantabitur in Ecclesia Dei *Cantate, quæ erit quarta post festum Paschæ, diebus continuatis sequentibus*, Anno à Nativitate Domini M CCCC XVIII.

Definiti Præsides futuri illius conventus.

Et in eo præsidebunt *Domini* Abbates Monachorum Fuldensium, Campidonensium, Selzensium, & Sancti Ulrici in Augusta, *Ordinis præfati, Herbipolensis, Constantiensis & Argentinensis diœcesios.*

Ideo autem propria nomina subticemus, ut, si aliquem aut aliquos ipsorum diem claudere contigerit extremum, *successor in dignitate succedat pariter in præsidentia.* Quod idem volumus de sermocinationem & missam celebrare debente, singulisque visitatoribus totius provinciæ & diœceseos prædictarum.

Missam vero in die Capituli celebrabit per se vel alium Dominus *Abbas in Forchen, Moguntinensis diœceseos.*

Sermonem faciet per se vel alium Dominus *Abbas in Castello, Aichstadiensis diœceseos.*

In diœcesi vero *Constantiensi & Curiensi* visitabunt monasteria, nondum per certos visitatores aut à præsidentibus capituli deputatos visitata, Sancti Blasii Isingensis in Tzwyfeldingen & Fabriensis Abbas, Constantiensis & Curiensis diœceseos.

Et hos visitabunt in Faucibus & in Ottenburen Abbates, Augustensis diœceseos.

In diœcesi Augustensi visitabunt in Prenzahusen & in Pfortzheim Abbates, ejusdem diœceseos.

Et hos visitabunt in Wibellingen & in Ochsenhusen Abbates, Constantiensis diœceseos.

In diœcesi Aichstadensi & Bambergensi visitabunt Castellensis & Bambergensis eorundem civitates &c.

Præfati etiam visitabunt monasteria monialium in diœcesi seu diœcesibus, in quibus, ut supra dicitur, sunt ordinati visitare monasteria virorum.

Pompa Visitatorum limitata.

Volumus præterea, quod *nullus visitatorum* præfatorum *ultra XII. equitaturas secum ducere habeat.*

Quod idem volumus de venientibus ad Capitulum observari.

Pœna excedentiũ.

Quod si contrarium fecerint, ultra tantum, quantum exposuerunt, teneantur solvere reponendum *in communi arca*, ad utilitatem Capituli præfati infra mensem. Quod si non fecerint, ad duplum per præsidentes arbitrandum in dicto proximo Capitulo condemnentur, nulla eis super hoc remissione profutura.

Ordi-

Commune arcarium Benedictinorum constitutũ in Petershausen prope Constantiam.

Ordinamus insuper, dictam *arcam communem* debere stare in dicto *monasterio* PETRI DOMUS, tribus seris & clavibus diversificatis seratam. In qua per *thesaurarios*, seu *custodes clavium* infra nominandos, de contributione communi & aliunde obvenientia ad utilitatem Capituli præfati reponentur.

Thesaurarii Benedictinorum.

Præfatos vero *thesaurarios* eligimus *Abbates* monasterii *Petri domus*, *Schafhusen*, & in *Stein*, Constantiensis diœceseos.

Thesaurariorum ac visitatorum illorum jura.

Dantes eisdem thesaurariis, visitatoribusqve præfatis, & eorum cuilibet *potestatem exigendi, petendi & requirendi* omnia & singula debita, in ipso Capitulo imposita, vel imponenda per ipsum Capitulum super prælatos dictarum provinciæ & diœceseos, pro supportatione ipsorum Capituli & ordinis, & illa, quæ debent Domini Abbates absentes continuantes, secundum maturam taxationem, inferius insertam, *compellendiq*, per censuram Ecclesiasticam omnes differentes seu renunciantes solvere, quæ debebunt, terminosqve solutionis minime factæ *relaxandi, & absolvendi*, & generaliter omnia *faciendi* circa præmissa, omniaqve & singula, quæ facere possunt & debent thesaurarii, atque facere, quæ facere possemus, & faceremus, si personaliter interessemus.

Volumus autem, recepta seu recipienda per visitatores præfatos, quod mittantur thesaurariis jam dictis, seu eorum alteri, ut *in præfata arca reponantur.*

Communis census Abbatum Benedictinorum, in eorum visitatione.

Et ut omnia prædicta, & alia Capitulo incumbentia valeant supportari, monemus, autoritate Apostolica & nostra, omnes & singulos *Abbates* ordinis provinciæ & diœceseos prædictarum, quatenus quilibet eorum *de summa trium florenorum Rhenensium* infra tempus trium dierum, computandorum à die, qua visitatores causa visitandi ad sua monasteria declinaverunt, nisi prius satisfecerint, ipsis thesaurariis seu visitatoribus, aut eorum alteri *satisfaciant.* Qvod tempus pro tribus monitionibus canonicis præfigimus, & volumus sufficere.

Alioquin eos, dicto elapso termino, in scriptis excommunicamus, & excommunicatos denunciari volumus, & mandamus in locis & monasteriis præfati ordinis, prout in Benedictina continetur. Qvorum absolutionem thesaurariis visitatoribusqve præfatis, seu eorum cuilibet, satisfactione præmissa, non ante, (reservamus;) Aliàs dictam absolutionem impedientem habeant facultatem.

De receptis seu recipiendis rationem in proximo futuro Capitulo expressam facere teneantur.

Thesaurarii priveniant ad Capitulum quàm Præsidentes ac visitatores.

Volumus autem, quod præsidentes *thesaurarii* supradicti *terminum Capituli* proxime celebrandi *præveniant.* Sic quod thesaurarii sint ibidem sabbato ante dominicam, præcedentem Dominicam *Cantate* supra dictam. *Præsidentes* vero die lunæ, ac *visitatores* die martis proxime ex post sequente.

Interimque *relationem de commissis*, & discussionem eorundem, quantum poterunt, *ante terminum dicti Capituli* facere debeant, ut adveniente ipsius termino citius expediantur.

Abbates aliqui in Capitulo provinciali Constantiensi non comparuerunt.

Item, quia Domini *Abbates* ordinis provinciæ & diœceseos prædictarum, *ad præsens Capitulum Provinciale non venerunt*, nec procuratores seu excusationes miserunt, videlicet Domini *Abbates in Vallenstede & in Geseke*, Halberstadiensis, *& in Clusa*, Moguntinensis diœceseos: Reputavimus & per præsentes reputamus *contumaces.*

Horum Abbatum contumacium pœna, Constantia dictata.

Et eos *pœnas* in dicta constitutione præfati Domini Benedicti contentas declaramus incurrisse, quas arbitramur in modum sequentem. Videlicet: Qvilibet Abbatum in Vallenstede & in Geseke solvet *quadraginta florenos Rhenenses* pro contributione communi, quorum quatuor in Capitulo & tres visitatoribus dandi Abbatibus: Non inclusis *viginti florenis* una cum contributione. Cujus Abbatis solutionem præsidentes sibi in futuro Capitulo ex causa reservarunt. Qvas summas dictorum duorum *Abbatum contumacium* debitas, volumus visitatoribus, seu eorum alteri, infra tres dies, à die, quo eorum monasterium causa visitandi applicuerint, computandos, tradi realiter & assignari. Et dictos

tres dies pro tribus canonicis monitionibus eis præfiximus & præfigimus per præsentes. Alioqvin eos, elapso dicto termino, in his scriptis excommunicamus, & excommunicatos denunciari volumus & mandamus in locis & monasteriis præfati ordinis, ut in Benedictina continetur. Absolutionem dictis thesauriis & visitatoribus, secundum distinctionem quæ in alio casu præmittitur, reservantes.

Visitatoribus tempus visitandi præscriptum.

Item volumus, quod Visitatores deputati supradicti statim, cum ad sua monasteria devenient, suas incipiant visitationes: Et *per mensem Majum, Julium & Augustum*, si possunt, sin autem, tunc quam citius fieri poterit, ipsas *visitationes perficiant.*

Generalia statuta reformatoria, in ordine S. Benedicti, in Const. Cōcilio facta.

Item *ad ordinis reformationem* ex officii debito oculorum aciem dirigentes, quædam ipsum *totum ordinem concernentia pro ipsius reformatione* duximus statuenda.

Sacra devote tractentur.

Et primo ab *opere Dei* inchoantes, ordinamus, quod diurnum pariter & nocturnum officium *devote* tractetur: Pausatim, non transcurrendo, non syncopando, & horis competentibus, prout in regula sanctissimi nostri Patris Benedicti continetur, celebretur.

Sacra mature inchoentur.

Et quod mox, *cum auditum fuerit signum*, relictis omnibus, quæ fuerint in manibus, summa cum festinatione concurrant: Cum *gravitate* tamen, *ne scurrilitas inveniat fomitem*, ita quod *nihil operi Dei præponatur.*

Et ne excusari *prætextu ignorantiæ* non auditi singuli valeant, volumus, quod tractus matutinarum, quem incipi in media nocte volumus, primæ, & vesperarum, ad minus ultra quartam partem horæ perduret.

Pœna negligentiū.

Qvi vero ad præfatum diurnum officium non venerint, *irremissibiliter*, prout in regula continetur, *puniantur.*

Volumus etiam, quod Abbates & ceteri ordinis præfati *celebriter confiteantur & communicent.* Prout in Constitutione Benedicti *de missarum celebratione* &c. continetur.

Presbyteri eorum ordinandi.

Et quod illi, qui secundum juris & Benedictinarum sanctiones in sacris aut presbyteratus ordine constituti sunt, infra annum *ad ipsos ordines promoveantur.* Et *contra negligentes* visitatores procedant, prout de jure possemus.

Capitulū Benedictinorum quotidianum, de eorum disciplina regulari.

Volumus insuper & ordinamus, quod *qualibet die*, in locis, ubi sunt sex monachi, & aliis, uti consvetum est, post primam, si tantum una missa dicatur, si vero duæ, post primo dictam, vel alia consveta, *teneatur Capitulum quotidianum.* In quo *de disciplina regulari*, post martyrologium, ad lecturam regulæ, quæ vulgariter, per præsidentem ipsi Capitulo, seu alium, cui ipse jusserit, *exponatur*, antequam ad alia procedatur. Et negligentium seu delinquentium culpæ & excessus puniantur.

Sacra sint munda.

Item volumus, quod quilibet, cum ad suum monasterium deveniet, de firmis ac mundis vase & loco, in quibus & ubi Eucharistia reponatur, infra mensem provideat.

Res libraria Benedictinorū curanda.

Ac *libri*, cum cæteris ornamentis divinum officium & monasterium concernentibus, cum diligenti custodia reserventur.

Habitus eorum externus circumscriptus.

Item quia *per decentiam habitus extrinseci* dicti ordinis professi & novitii debent *morum honestatem ostendere*: Statuimus & ordinamus, quod omnes *tonsuras* referant *largas & latas.* Ita quod *circulus* ipsarum spatium seu grossitudinem duorum digitorum transversalium non excedat.

Seq; decenter habeant in vestibus, habitibus & calceamentis, juxta *Clem. Ne in agro.* & Constitutionem præfati Benedicti, *de forma & honestate vestimentorum.* Ut videlicet portent *tunicas* & vestes habitui superiori proximas, *nigri*, vel *bruni* aut *albi coloris*, juxta morem apud eos servari solitum, *rotundas* & *talares*, *non fissas*, nec alia deformitate notandas, *largas manicas habentes usque ad pugnum protensas*, nullo modo *bucconatas* seu *nodatas*, non tamen adeo largas, quod latitudine ipsarum supra pugnum cum pollice erecto valeat extendi, nec circa os cubiti, sicut habet abusus quorundam, ultra protendatur, quam quod brachium possit faciliter verti, & infra duci.

Almutiis de pellibus loco caputiorum sint contenti. *Caputiis* tamen *honestis*, in locis,

locis, quibus soliti sunt ipsa portare, fissis super humeros longitudine quatuor digitorum transversalium, ad minus uti de licentia Abbatis possunt.

In *vestibus foderatis*, pro foderatura vel minuta varia vel alia pretiosa non portent, sed tantum *agniculorum seu agnellorum pellibus* pro dictis foderaturis, aut saltem pannis aliis non pretiosis utantur. Nec foderaturæ supra collum, vel in fimbriis vestium seu manicarum appareant aliquo modo.

Præterea, cum ipsos ad monasterium contingat proficisci, *floccatam cucullam aut cappam* portent, & subtus cappam, si eam portaverint, cucullum aut scapulare. Novitii vero cucullâ intus monasterium, & extra apertâ ad utrumque latus, & conversi scapulari cum caputio sibi annexo, clauso, intus & extra utantur.

Verum quia aliqui habitibus prædictis magis amplis & longis, alii vero minus quam decenter utuntur: Eapropter *latitudinem & longitudinem* prædictorum duximus præsentibus inserendam, quam volumus observari.

Et primo incipientes *à caputio flocci* ordinamus, quod ipsius latitudo non attingat os cubiti grossitudine duorum digitorum transversalium. Nec valeat strictius, seu ita breve, quin usque ad medium cubiti & ossis superioris prope scapulam protendatur. Dictum vero *caputium* retro ad minus protendatur usque ad corrigiam, nec ultra ipsam, & quatuor digitos valet extendi.

Longitudo vero *manicarum* per cubitum unum ultra manum, & non plus extendatur. Et *latitudo* alium cubitum cum dimidio non excedat.

Inferius autem sit adeo latus, quod passus infra ipsum faciliter fieri possit.

Et ea, quæ dicta sunt de *flocco*, intelligi volumus de *cucullis*, manicis, cum nullas habeant, semotis.

Intra vero monasterium, in locis, in quibus fuerint duodecim monachi, *omnes flocco utantur*. In aliis vero, ubi fuerit tanta congregatio, *cucullis* uti possunt. Quas si portaverint, nullus flocco utatur. Præsidente monasterii & primo post ipsum, quos floccum omnino portare volumus, duntaxat exceptis.

In operibus tamen divini officii subtus *albam*, & equitando subtus *cappam*, *scapulare*, quod latitudinis dimidii cubiti ad minus spatium volumus comprehendere, tantum portare valeant.

Camisiis lineis aut *canopiis* non utantur: Sed vel *stamineam* vel *vestem laneam* loco dictarum camisiarum portent.

Estmallos seu *bocas* vel *soculares corrigiatos altos*, ita quod altitudo spatium quatuor digitorum comprehendat, de tibia super *camillam* portent.

Quod si in aliquo prædictorum fuerint negligentes, seu infra tres menses, postquam ad sua monasteria venerint, non portaverint, ut præfertur; Ultra pœnas à jure inflictas, per eorum superiores in religione, vel si superiorem hujusmodi non habeant, per visitatores præfatos taliter puniri volumus, quod ceteris cedat in exemplum.

Item, quod fratres *comedant & bibant in refectorio*. In quo nullus omnino carne vescatur. Diligentes sint Visitatores, ut constitutiones Benedictinas *de esu & abstinentia carnium* &c. faciant inviolabiliter observari. *De Victu Benedictinorum.*

Mensaq; eorum non desit lectio. Et *qui lecturus fuerit per totam hebdomadam*, Dominica ingrediatur post benedictionem, prout in regula cap. XXIII. de *hebdomario lectore* continetur. *Lectoris officium in mensa Benedictinorum.*

Item quod *singuli per singulos lectos vestiti dormiant* in eodem loco, si fieri poterit; Vel saltem deni aut viceni: *Non autem per cameras*, maxime si non fuerint cancellatæ competenter, ita, quod aperte & clare possint videri in eis. *De lectis & cubilibus eorũ.*

Lectisternio, per modum commiserationis secundum dispositionem Abbatis habentis culcitram, *non utantur*.

Si vero *camera in dormitorio* reperiuntur, præcipimus per visitatores sæpe fatos seu eorum mandato destrui, seu competenter cancellari.

Item, quod *silentium in Oratorio, dormitorio, refectorio & claustro* observetur. *Silentium ubiq; Benedictinis injunctũ.*

Et *post completorium nulli liceat quicquam loqui*, nisi prout in regula continetur. Ante vero dictum completo-

rium legatur collatio Patrum, vel aliud ædificans.

De janitore Cœnobii Benedictinorum.

Item quod *ad portam* cujuslibet *monasterii* unus *portenarius* seu *janitor* providus & discretus deputetur, ne absqve licentia Abbatis aut alterius præsidentis in monasterio, de eodem egregiendi libertas concedatur. Qvod si quisquam sine hujusmodi licentia exiverit, pœnæ subjiciatur constitutionis Benedicti, *de licentia exeundi extra monasterium sine causa non danda.*

Restricta licentia evagandi extra monasteriũ.

Attentus insuper sit, quod *mulieres nullo modo intrare permittat.*

Feminis aditus ad Benedictinos negatus.

Præterea, quia, ut audimus, quidam Abbatum, seu aliorum præsidentium in monasterio, mendicantes in monachos, & sine suorum superiorum licentia receperunt & incorporant, & quod deterius est, ipsos postmodum vagare permittunt, in animarum suarum detrimentum & scandalum plurimorum: Prohibemus, ut de cetero talia non præsumant. Et quos jam receperunt autoritate sedis Apostolicæ vel sufficienti licentia, teneantur, quam citius commode poterint & alios extra monasterium vagantes, vel saltem infra annum *ad monasteria revocare.* Alioquin sententiam suspensionis, si diligentiam in hoc non fecerint, incurrant.

Pravum artificiũ Abbatũ, mendicos habitu Benedictinorum ornãdi, damnatum.

Et ea, quæ dicta sunt *de monasteriis virorum*, volumus *in monasteriis monialium* quoad articulos sibi competentes similiter observari.

De monasteriis monialium.

Volentes nihilominus & ordinantes, quod *perpetua teneantur clausura*, prout in constitutione *Bonifacii*, (*VI. Dec. l. 3. t. 16.*) quæ incipit: *Periculoso*, de statu Regularium, continetur. In virtute sanctæ obedientiæ districte præcipientes Visitatoribus, quod super hoc diligentiam exactam imponant.

Literarũ studia in monasteriis Benedictinorũ practãda.

Item etiam ordinamus, quod *Abbates ponant in suis monasteriis Magistros sufficientes*, qui suos novitios *introducant in primitivis scientiis, & introductos transmittant ad generalia studia*, pensionem eis assignantes, secundum formam statutorum sæpe fati Benedicti.

Juniores Monachi Benedictini ad Academias ablegãdi.

Item Visitatores præfata statuta facere possunt, pœnas graviores infligentes, constitutionis: *Ne in agro* (*Clem. l. 3. t. 10.*) contra taliter inordinatos seu professionis immemores, qui *aves venaticas, prout habet mos nobilium secularium*, non verentur *gestare*, etiam *super pugnum*, seu *ante ipsos per eorum familiares deferri faciunt.*

Ordinamus præterea, quod Abbates & alii, qvibus de consvetudine, statuto vel privilegio competit *recipere spolia beneficiorum* sibi subjectorum, recipiendo illa, constitutionem Benedicti præfati observent. Qvod si in hoc excesserint, graviter per Visitatores præfatos, etiam præter pœnas in ipsa contentas, quas infligere valeant, puniantur.

Statuta de bonis Benedictinorum.

Fructus beneficiorum vacantium Abbates sibi non vendicẽt.

Item quod loca prædicti ordinis *non tradantur ad firmam*, nisi prius visa *Benedictina, de loco non tradendo ad firmam.* Qvam volumus firmiter observari.

Volumus etiam, quod cum imminebunt fienda *mutua*, similiter prævideatur *constitutio de mutuis & venditionibus.* Qvæ etiam similiter observetur.

Inventarium faciendum apud novum Abbatem.

Fiant etiam *inventaria* in assumtione cujuslibet Abbatis. Prout in *Benedictina de inventariis* continetur.

Stat9 monasterii visitatoribus semper exponendus, idq; que scripto.

Et ut *status monasteriorum* prædictorum valeat cognosci, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis infligenda per visitatores præfatos, quatenus *quilibet Abbas statum sui monasterii, antiquum & modernum, teneatur distincte visitatoribus* præfatis *tradere in scriptis.*

Numerus Monachorum Ben.

Item volumus & ordinamus, quod *numerus monachorum antiquitus institutus*, si ad hoc sufficiant facultates, vel si non, tot, quot commode contentari poterunt, teneantur.

An nobiles an & ignobiles admittendi inter monachos Ben.

Nec prætextu executionis, privilegii seu *consvetudinis, quæ potius dicenda est corruptula*, quibus dicunt, se nullum nisi *nobilem* accipere debere, defendere se valeant aliquo modo. Maxime, si non habentur nobiles intrare volentes monasteria prædicta. *Si* tamen *reperiantur, cæteris paribus præferantur.*

Pro vestitu & victualibus pecuniam monachis non esse dandam.

Et idem volumus de *monasterio Scotorum* observari.

Item quod *victualia, vestimenta* & alia necessaria monachis ministranda, *nullo modo in pecunia seu reditibus ministrentur*, Constitutione quacunque aut ordinatione non obstante. Et in hoc servetur *consti-*

constitutio præfati *Benedicti*, *ne victualia in pecuniis ministrentur.*

Justo tempore detur victus & vestitus.

Volumus autem quod præfatis religiosis prædicta victualia & vestimenta *temporibus ordinatis* in *Benedictina de censibus*, etiam ministrentur.

Qvisque Abbas generale apud suos celebret capitulũ, ad leges has publicandas. Singulis etiam annis in Capitulo quotidiano repetãtur.

Et ut prædicta per omnia loca ordinis provinciæ & diœceseos præfatorum melius possint observari, ordinamus, ut infra annum proximum & *ante futurum capitulum* saltem per mensem *quilibet Abbas generale capitulum*, si quos subjectos extra suum monasterium habeat, *facere & finire teneatur*, in quo statuta prædicta publicentur. Qvæ volumus nihilominus in anno in *capitulo quotidiano*, ne qvis causam ignorantiæ prætendere valeat, distincte legi, una cum constitutionibus Benedicti.

Executio harum legum quibus injuncta.

Rogantes & requirentes *in juris subsidium* omnes alios dicti capituli nunc subditos, quatenus *contenta in præsentibus literis, quæ executione indigent*, executioni debitæ demandent, aut demandari faciant competenter.

Qvamvis autem alia juris & regulæ instituta sint ab omnibus præfatis observanda, qvorum transgressores per visitatores puniri præter pœnas in eis contentas volumus, prout eis videbitur expedire: Specialius tamen & districtius volumus illos, qui *aliqua supra expressorum* prævaricati fuerint, *pœnis* supra expositis percelli.

In qvorum omnium & singulorum robur & testimonium has præsentes literas *sigillorum* nostrorum *appensione*, ac signis & subscriptionibus notariorum nostrorum juratorum subscriptorum, jussimus communiri.

Edita hæ leges Constantiæ in monasterio Petershausen. A. 1417. mense Martio.

Data fuerunt hæc *Constantiæ, provinciæ Moguntinensis, in monasterio* PETRI DOMUS *ordinis Sancti Benedicti* supradicto: Nobis inibi una cum Dominis Abbatibus & cæteris religiosis suprascriptis *capitulariter congregatis*: Indictione decima, *sede Apostolica vacante*: Præsentibus reverendis religiosisqve Patribus & Dominis, *Caspar de Perusio, Alexandro Bellifonte & Conrado Pegaviensi*, monasteriorum *Abbatibus*, Perusiensis, Malleacensis & Merseburgensis diœceseos, *testibus* ad præmissa vocatis specialiter.

CAP. VIII.

Diploma Imperatoris Sigismundi, datum in Concilio Const. Visitatoribus Benedictinorum A. 1418. 17. Jan.

Imperator Sigismundus approbat Laudatã Capitulũ provinciale Benedictinorũ, Constantiæ A. 1417 mense Martio celebratũ, pro Reformatione illorum Monachorum.

WIr Sigmund von GOttes Gnaden Römischer König/ zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ und zu Ungern/ Dalmatien/ Croatien ꝛc. König/ Entbieten allen und ieglichen Fürsten/ Geistlichen und Weltlichen/ Grafen/ Freyen/ Rittern/ Knechten/ Vögten/ Amptleuten/ Bürgermeistern/ Räthen und Gemeinden/ und sonst allen andern Unsern und des Reichs Uuterthanen und Getreuen/ denen dieser Brief fürkömmt/ Unser Gnade und alles Gute.

Ehrwürdige/ Hochgebohrne/ Edle und liebe Getreue. Uns ist fürbracht/ wiewol die Ehrsamen alle und jegliche **Aebte** Sanct Benedicten-**Ordens**/ nachdem Sie dann von ihren Præsidenten und Obristen nechst gefodert waren/ **eine gemeine Samlung**/ die man nennet Capitulum provinciale, **in der Stadt zu Costentz gehalten** haben/ auf daß Sie sich/ ihren Orden/ und die Aebtissiñen/ Münche und Nonnen **darinne rechtfertigen**/ **in Ordnung**/ **und redlich Leben und Wesen wiederbringen**/ und nach Ausweisung des processes des ietzigen Capitels darüber gemacht/ darinne behalten/ und auch ihres Ordens Gebrechen wandeln und fürsetzen möchten:

Und

Und wiewohl in derselben Sammlunge / mit Rath und Willen des heiligen Conciliums zu Costentz / etliche Ordnungen und Gesetze erneuret sind: Nemlich / wie die vorgenannte Aebte / Aebtissinnen / Münche und Nonnen fürbaß Kutten tragen / und als Aebte / Aeptissinnen / Münche und Nonnen / darum sie alle ihre Würdigkeit / Ehre uud Nahrung haben / ordentlich / göttlich / redlich / und nach Ausweissunge ihrer Regul / und anderer Päbstlicher Gesetze / leben sollen:

Jedoch sind noch etliche derselben Aebte / Aebtissinnen / Münche und Nonnen die solcher Rechtfertigung / Ordnung und Gesetze der vorigen Samlung und Obristen / ungehorsam sind / und sich auch dawider / ihrer Seele zu Schaden / und ihrem Orden und Obersten zu nicht kleiner Schmachheit / freventlich setzen / und ihr straffbar Leben fürbaß alles zu behärten meinen.

Wann nun der vorgenante Sanct Benedicten-Orden im Christlichen Glauben / aller geistlicher Zucht uñ Ordnunge / ein gut Bilde viel hundert Jahr gewest / und in Unsern und des Reichs sonderlichen Schirm ist / und Wir allezeit darzu geneigt sind / daß alle geistliche Personen in redlich und ordentlich Wesen wiederkommen und bracht werden:

Und wenn die vorgenante Samlunge überkomen geordnet / und gemacht hat / etliche gelerte und eines guten seligen Lebens Vätere des vorgenenandten Ordens in alle und jegliche Clöster in dem Reiche / und nemlich in der Provintz des Ertz-Bistums zu Mainz / und des Bistums zu Bamberg gelegen / zu senden / die zu besehen / in redlich Wesen / Orden / und Behältniß der vorigen Regul / Gesetze / und geistlich Leben zu setzen / ungehorsame Aebte / Aebtissinnen / Münche und Nonnen zu straffen / und zu redlicher Gehorsamkeit wiederzubringen / und andere Gebrechen in solchen Klöstern nach dem besten zu wenden / und daß männlich Gottesdienst andächtiglich und fleissiglich geübet und gehalten werden / zu bestellen:

Und wann also die Præsidenten / Visitatores und andere Personen des vorgenanten Ordens zu Capittel / und die Klöster also zu visitiren / und zu thun als vor begriffen ist / in der vorgenanten provintz, und den Bistum zu Bamberg hin und her ziehen und fahren werden:

Darum haben Wir ihnen und allen den ihren / die mit ihnen reiten / fahren / und ziehen / mit samt ihrer Haabe / Unsern und des Reichs Friede und Geleit gegeben / und sie auch darin gnädiglich genommen / geben und nehmen in Krafft dieses Brieffes unter Römischer Königlicher Macht Vollkommenheit: Und begehren darum von euch allen / und eurer jeglichen / und gebieten euch / auch von der vorgenanten Unserer Macht und Gewalt wegen / ernstlich und festiglich mit diesem Brieffe / daß ihr dieselben Præsidenten / Visitatores und Personen / mit samt ihren Dienern / Knechten / Pferden und Haabe / durch euer Land / State / Schlösser und Gebiete zu Wasser und zu Lande sicher und ungehindert / reiten / ziehen und fahren lasset / und sie auch geleitet / und Geleite schaffet / wo das Noth ist / und das an euch gefordert würde / und wo sie euch auch anruffen ihnen ungehorsahme Aebte / Aebtissinnen / Münche und Nonnen des vorgenannten Ordens in ihre Gewalt und Gefängniß zu bringen und zu behalten helffen / daß ihr des willig seyn sollet nach ihren Begehren / GOtt zu Lobe / dem vorgenanten Orden zu Ehren und zu Nutz / allen gläubigen Seelen zu Trost / und Uns / und dem Reiche zu sonderlichem Dancke und Wolgefallen; Wann uns ein jeglicher sonderliche Dienste und Behäglichkeit daran beweiset.

Geben zu Costentz / unter Unser Königlicher Majestät Insiegel / nach Christi Geburt vierzehenhundert Jahre / und darnach in dem achzehenden Jahre / am Sanct Anthonien-Tage / Unser Reiche des Ungerschen ꝛc. in dem ein und dreissigsten / und des Römischen in dem achten Jahre.

Provin-